Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26105
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Est et alia infirmitas pessima quam uidi sub sole: diuitie conseruate in malum
domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima. Generabit filium: et nihil in summa
egestate erit. Sicut egressus est nudus de utero matris suae sic reuertetur:
et nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas. Quomodo
uenit: sic reuertetur. Quid ergo prodest ei quod laborauit inuentum cunctis diebus
uitae suae? Comedit in tenebris. et in multis curis et in aerumna atque tristi
tia. Hoc itaque mihi uisum est bonum: ut comedat quis et bibat et fruatur letitia
ex labore suo quod laborauit ipse sub sole: numerum dierum uitae suae quos
dedit ei deus: et hec est pars illius. Et omni homini cui dedit deus diuitias atque
substantiam potestatemque ei tribuit ut comedat ex eis et fruatur parte sua.
et letetur de labore suo: hoc est donum dei. Non enim satis recordabitur die
rum uitae suae: eo quod deus adimplebit delicius cor eius. Est et aliud malum
quod uidi sub sole et quidem frequens apud homines: uiro cui deus diuitias dedit
et substantiam et honorem et nihil deest animae eius ex omnibus que desiderat: nec
tribuit ei potestatem deus ut comedat ex eo. sed homo extraneus uorabit
illud. Hoc uanitas et magna miseria est. Si genuerit quispiam centum filios
et uixerit multos annos et plures dies etatis habuerit et anima illius non
utatur bonis substantie sue. sepulturaque careat: de hoc ego pronuntio quod
melior illo sit abortiuus. Frustra enim uenit et pergit ad tenebras: et oblui
one delebitur nomen eius. Nec uidit solem: neque cognouit distantiam boni et mali.
Etiam si duobus milibus annis uixerit et non fuerit perfruitus bonis: nonne ad
unum locum festinant omnia. Omnis labor hominis in ore eius: sed anima illius
non implebitur. Quid habet amplius sapiens ab stulto: et quid pauper nisi ut pergat
illuc ubi est uita. Melius est uidere quod cupias: quam desiderare quod nescias.
Sed et hoc uanitas et festinatio spiritus. Qui futurus est iam uocatum est nomen
eius. et scitum quod homo sit: et non possit contra fortiorem se iudicio con
tendere. Verba sunt plurima. multaque indisputando habentia ua
nitatem. Quid necesse est homini maiora sequi cum ignorat quid conducat